



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De angusta porta & arcta via. Matth. 7. Luc. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

III. De angusta porta & arcta via.
Matt. 7. Luc. 13.

Luc. 13. I. **R**ogatus Iesus, Si pauci sunt qui saluantur, ait: Contendite intrare per angustam portam: quia multi dicent vobis, quarent intrare, & non poterunt. Etenim Patris Sapientia praevidens omnia, & raritatem saluandorum, & numerositatem reprobandorum, quam sero nobis serium eximia perfectionis studium commendat, contendite, inquit, intrare ad vitam per angustam portam, per accuratam scilicet mandatorum, consiliorum, regularum observationem, per iugem mortificationem, per assiduum virtutum & bonorum operum exercitationem, per constantem voluntatis propriae cum diuino in omnibus beneplacito conformationem. Sed heu, quanta caecitas, quanta sollicitudo hominum nihil minus, quam hoc perfectionis studium curantium! quod sero nimis cognoscent & deflebunt, cum quarent ad vitam per angustam portam intrare, & non poterunt. Feruor maturae conuersionis, & feruens assiduumque studium eximia perfectionis.

II. Vehementius idem perfectionis studium

studium inculcat, addens: *quia lata porta & spatiosa via est, qua ducit ad per-* *Matt. 7.*
ditionē, & multi sunt, qui intrant per eam.

Quam angusta porta & arcta via est, qui ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Quam meritò sic exclamat admirabunda increata Patris Sapientia, tantam intuens multitudinem hominum per latam portam & spatiosam viam concupiscentiarum oculorum, carnis, & superbiæ vitæ ad inferos cœco impetu ruentium; & tantam paucitatem per abnegationem suarum cupiditatum, & eximiæ perfectionis studium ad cœlum seridò contendentium? Si & tu hæc attentius considerares, tuam & aliorum cæcitatem & stupiditatem defleres. Horror laxioris disciplinæ, feruor strictioris diuinarum legum & regularum obseruantia, zelus animarum pereuntium.

III. Minis æternæ reprobationis ad idem maturæ conuersionis & solidæ perfectionis studium nos acrius extimulat, inquit: *Cum intrauerit Pater familias, & clauserit ostium, & incipie-* *Luc. 3.*
ris foris stare, & pulsare ostium, dicentes, Domine aperi nobis. & respondens dicet vobis: Nescio vos, unde sitis! Si horrendum esse agnoscis à Deo summo & v-
 aico

nico nostro bono nesciri repelli, reprobari in æternitate; time ab eodem per quoduis grauius delictum separari, aut per teporem spiritûs elongari in tempore. Horror & fuga peccati, & tepiditatis.

I V. *De conuersione Magdalena. Matt. 7.*

I. *Inuitatus Iesus à quodam Pharisæo, ut manducaret cum illo, ingressus domum eius, discubuit. Nouerat Dominus se à Pharisæis malitiôsè obseruari, sibi que, quod cum publicanis & peccatoribus familiarius ageret, exprobrari; nihilominus ab eo se inuitari permisit, à quo se temere iudicandum præuidit; tum ut ab errore illû liberaret, tum ut illi, inuitatis, & posteris omnibus peccatricis verè pœnitentis ideam imitandam, & abyssalem diuinę misericordię suę erga peccatores sincerè resipiscentes abundantiam suspiciendam ob oculos poneret. Quàm admiranda illa Saluatoris, salutem omnium tam auidè sitientis dignatio, quàm amanda omni acceptione digna miseratio? Amor Iesû, zelus animarum.*

II. *Et ecce Mulier, qua erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quod accubisset in*
domo